EPITOME PRINCIP. VENET. BERNARDO GEORGIO P.V. AUCTORE

Bernardo Giorgi

Digitized by Google

Bernardi Georgii Carmen,
ad Lectorem.

Quæ Veneti geſſere Duces, quo'ue ordine lecti,
Quilibet et quantum uixit in imperio,
Qui ſtatus, ac quæ etiam fortuna, et forma regendi,
Et quo Dux lectus tempore quiſque fuit,
Conuentus quæ cauſa Viris, quæ'ue urbis origo,
Perſtringit paucis hoc tibi lector opus.
Oro igitur curis tribuas, tenui'que camœnæ,
Si magna, in paruo clauſa ſit hiſtoria.

FRANCISCO DONATO
Inclyto Venetiarum Duci, Bernardus
Georgius S. D.

VITAS, et Venetorum Principum geſta ex Petri Marcelli hiſtoria à me pridem excerpta, et in metricæ epitomes formam nuper redacta, cui iuſtius, ac decentius nuncupauerim, quàm tibi Inclyte Donate Veneto Principi: qui ob præſtanteis, ac illuſtreis animi tui dotes, ac ob præclara tua erga Patriam merita, ad eum gradum, et apicem euectus es. Qui'que ex pari cum optimo quoque præceſſorum tuorum ingenii acumine, eloquentia, conſilio, manſuetudine, placabilitate, uirtutum denique omnium ſplendore contendis. Labor igitur hic noſter qualiſcunque, ut præ cæteris omnibus amplitudini tuæ debetur, ſic etiam à me tibi promptè, libenter'que traditur. Factitarunt hoc idem ante me quamplurimi olim ſcriptores, qui lucubrationes ſuas Principibus dicatas in publicum emiſerunt. Platina præcellentis ingenii, magnæ'que literaturæ, ac eruditionis Hiſtoricus Pontificum Ro. uitas eleganti, ac exculto ſtilo exaratas, non alii, quàm Sacroſancto Pontifici nuncupauit. Maro etiam eminentiſſimus, poetarum'que facilè parens (ſi per fata licuiſſet) ſuam Aeneidem non alii dicaturus erat, quàm Cæſari Auguſto: ut potè in quem Aeneæ ipſius origo, et genus defluxerant. Secutus igitur ueſtigia clariſſimorum Auctorum, qui penè innumerabiles extiterunt, ſuper editione huius lucubrationis noſtræ, quod præſtitiſſe illos animaduerti (ſi parua licet componere magnis) præſtandum mihi non temerè exiſtimaui. Id autem eò probabilius eniti uideor, quò noſtra

erga te obſeruantia, et pietas ſolito impenſius urgent, et efferueſcunt. Suſpexi te Senatorem, colui Procuratorem, Principem uero admiratus ſum, admirari'que pergo. Iam ad epitomen noſtram me conuerto; quam duabus in primis de cauſis, et quidem, ni fallor, legitimis, et probabilibus effinxiſſe me ingenuum lectorem ſibi perſuadere uelim. Altera ſcilicet ut meam in patriam, cui nihil non debere me profiteor, beneuolentiam, ac potius pietatem, et ſtudium teſtarer. Altera uerò ut res memoratu dignas à maioribus noſtris olim editas, ut occupatiſsimo ciui datur, induſtria etiam noſtra ulterius proueherem, magis'que extollerem. Tam et ſi non ignoro magis canorum æs, nobilius'que præconium, quàm hoc noſtrum alioqui ſubraucum, et ſubobſcurum eas deſiderare. Cùm planè intelligam, quàm perhumili ingenio, et quàm pertenui literatura ſim. Quò fit ut noſtras has uigilias illis potiſsimum ſcriptas, et penè duntaxat impertitas, et communicatas uelimus, quibus Sabellici Decadas, et Iuſtiniani hiſtoriam, ac Marcelli uitas haud uàcat euoluere. Breuiſsimo igitur compendio hominum oculis ſubiicere tentauimus, quæ illi omnes ſeorſum in plura uolumina proſa oratione copioſiſſimè digeſſerunt. Carmine autem heroico ea ipſa perſtrinximus, quod carmen aureis, et animos non ſolum hominum, uerum etiam Deorum magis quàm proſa demulceat, et oblectet. Præterea pro indubitato, ſinèque ulla prorſus controuerſia apud omnes habetur, quoduis ſcriptorum genus carmine contextum, compoſitum'que facilius ediſci, ac memoriæ mandari poſſe, quàm ea, quæ ſolutæ orationi credita repeRIuntur. His accedit quod heroicum carmen uti regium, et diuinum creditur magis accommodatum ad celebranda Principum geſta, quàm aliud quodlibet metri genus. Periochas

duodecim librorum Aeneidos Herennius Modeſtinus, ſiue poeta alius, (quiſquis fuerit,) tum denis, tum quinis carminibus complexus eſt: Vitas uerò Cæſarum Auſonius Burdegalenſis tetraſtichis eſt proſecutus; eorum proinde exemplo, et imitatione, quod uterque, et alii complures in ſuo genere præſtiterunt, de Venetis Principibus noſtro morigeratus ingenio compendioſè, conciſéque propemodum operæ precium præſtare duxi. Percurret igitur breuiſsimo temporis interuallo negocioſus patricius (ocioſos enim ab hoc albo expungimus, atque ad Sabellici, Iuſtiniani, et Marcelli hiſtorias delegamus) quod non niſi longiſsimo tempore, et ægrè quidem ſtudioſiſſimus quiſque aſſequi ualeat. Coarctauimus autem hanc ipſam hiſtoriam noſtram, non ut ille olim, qui in membranis Homericam Iliadem tam minuto, et exili charactere deſcripſerat, annotauerat'que, ut duobus nucis putaminibus includeret; uerùm more eorum, qui planetas, et zonas quinque cœli, et ampliſſimum zodiacum, cœlum'que immenſum in modica ſphera collocant: aut item more eorum, qui ingentem terrarum orbem in arcta, et anguſta tabella delineant; ſiue in parua pila conſcribunt. Tuæ quapropter Maieſtatis, addo etiam humanitatis fuerit ampliſſime Princeps, ueriſſiméque pater patriæ, ſi qui ut illepidam, et inconcinnam, parum'que frugi hanc rapſodiam noſtram taxauerint, me ciuem nominis tui perquàm ſtudioſum aduerſus quoſuis Criticorum latratus, et morſus, acri, exactóque iudicio, non uulgari patrocinio, ſumma grauitate, et auctoritate, quibus præcellis, præfulges'que nos protegere, atque tueri. Id quod eò propenſius præſtare poteris, quò noſtra hac inuentione faciliorem, ac patentiorem aditum perſpicacioribus ingeniis factum animaduerteris, ut multò plura,

B

et altiora meditari, multóque meliora in poſterum eniti, et expromere ualeant. Benè, ac feliciter uale Venetorum Ducum Summum, et præcipuum decus. Ariſtocratiæque noſtræ robuſtiſſimum, ac firmiſſimum columen.

Datum Venetiis anno
à virgineo enixu,
et puerperio.
M. D. XLVII.
Idibus Iuniis.

BERNARDI GEORGII Veneti Patricii Carmen, ad candidum Lectorem.

Res ſub Principibus Venetis per tempora geſtas,
Contulit in librum deſcriptas uoce ſoluta,
Eloquio clarus, doctrina clarus et ipſa,
Nec non patricia Marcellus origine clarus.
Verſibus hæc eadem aggredior perſtringere quinis,
Auſonii præclara ſequens ueſtigia Galli.
Patriciis ergo uoueo hunc, tradoque laborem,
Quos patriæ carptim cognoſcere facta iuuabit,
Et quamuis idem tenui uix dignus honore,
Vt poté qui modico cultu, modicoque lepore,
Ac interrupto, et rauco modulamine paucos
Vix capiat, forſanque aliquos offendere poſſit,
A' patrio manans tamen eſt cenſendus amore.
Plinius in magnis ſenſit uoluiſſe decorum,
Et ſi non præſtat, quod quis præſtare laborat.
Hæc igitur quicunque leges mea carmina ciuis,
Inuento ſaltem faueas, plaudasque rogamus.
Tædia diſſolues, ſi quæ contraximus unquam.
Sic oleum noſtræ infundes ſine fine lucernæ,
Deuinctumque tibi plus reddes tempus in omne.

PRAEFATIO BERNARDI
Georgii Veneti Patricii, in Heraclianos Duces.

VT domina, ut princeps rerum, totius et orbis
Roma caput, luxu, et bellorum turbine rapta
Concidit, ex altóque dedit conuulſa ruinam,
Expoſita hoſtili excidio fuit Itala tellus:
Omnis et externæ expoſitus fuit incola prædæ.
Quo circa hinc Gotthi, inde etiam gens barbara quæuis,
Infeſtis armis illam inuaſere repente,
Vaſtantes flammis, et cædibus omnia peſſim.
Ob quod ad hadriacas multi effugere paludes:
Nomine præſtantes, præſtantes ſanguine, cenſu,
Hic qui ob barbaricos ſe continuere furores,
Atque ſibi, natiſque domos ſtruxere per undas,
Tuteláque ſui, rerum pariterque ſuarum.
More auium, quæ ſe nidis, prolemque tuentur
Aduerſus nocuos imbres, nocuaſque uolucres.
Ne uerò ſine lege agerent, ſine præſide uitam,
Mens quibus ipſa fuit ſedes habitare paluſtres,
Inſula conſtituit proprios ſibi quæque Tribunos,
Qui fas, quique pium colerent, ſcelus omne uetarent,
Sancirent longo ſeruandas tempore leges.
Subiectas æquo regerent moderamine gentes,
Suppliciumque reis, conferrent præmia dignis.
Quæ forma ultra annos uiguit ſeruata ducentos.
At demum cum tot ſenſim labentibus annis,
Deſpecta, et diſcors, eſſetque odioſa poteſtas,
Nomine quæ paſſim fieret per ſtagna Tribuni,

Sub cœlo quando mutentur tempore cuncta,
Flumina mutentur, pariter mutentur et urbes,
Nomina terrarum, mutentur nomina honorum,
Imperii placuit formam remouere uetuſtam.
Omnia quapropter uiſum ut loca ſolus haberet,
Imperio regeret, ſparſiſque per æquora ſolus
Iura daret populis, libraret ſingula ſolus,
Sub placidaque omnes ſolus ditione foueret.
Sic diſiecta prius, coniuncta potentia in unum;
Sic quod erat primo tenue, exiguique decoris,
Incrementum ingens non longo tempore ſumpſit,
Induit et formam præclaram, ac principe dignam.
Alma parens Chriſti, Veneti tutela Senatus,
Tuque etiam noſtri imperii ſanctiſſime præſes
Marce faue: nobis animum, uireſque miniſtrans,
Maiorum ut digne poſſim percurrere geſta.
Vos quoque Patricii cœpto indulgete labori,
Et ſolito de more etiam ſuccurrite alumno,
Atque ſoluturo ſimul aſpirate ſecundi,
Quo ueſtro ſtudio, ueſtra ſuffultus et aura,
Optatum incolumis ualeam contingere portum,
Latius ac noſtro pelagus ſulcare phaſello.
Iam memorare Duces locus eſt, qui ſceptra per undas
Hactenus hadriacas, uario geſſere ſub aſtro.

D

Heracliani Duces. Paulutius Dux. I.

Anno Chriſtianæ ſalutis.

DCLXXXXVII.

Heraclia Imperii Veneti fert prima corollam,
Et me prima uidet ſublimi in ſede locatum,
Per ſuperos adigit'que pios, ut publica curem,
Ac cum Lytprando lætatur fœdus iniſſe.
Quattuor expletis luſtris mandat'que ſepulchro.

Marcellus Dux. II.

DCC.XVII.

Heraclia ut meritò decorata eſt Principe honore,
Dux creor à cunctis Tribubus de more ſecundus.
In ciues igitur pietas, animus'que uirilis,
Me Paulo euectum in ſolio ſuccedere fecit.
Florens in patria ſed nono ſubtrahor anno.

Horleus Dux. III.

DCC.XXVI.

Exarchi ſuaſu, Romanæ ac præſulis Vrbis,
In Longobardos moueor, quos pello Rauenna:
Inde Aquileienſes procul arceo ab urbe Gradenſi.
Dum uerò Heraclios bellis uexo'que, premo'que,
Poſt annum undecimum Heracliis obtruncor ab ipſis.

Principis effuſus ſanguis, uiolenta'que cædes,
Atque animus verè præceps, mores'que ſuperbi,
Ingentem Heracliæ Imperio inuexere tumultum,
Quare Medoacum placuit migrare relicta,
Heraclia, placuit formam mutare regendi,
Pro Duce Militiæ ſibi conſtituiſſe magiſtrum,
Annua Medoaci faceret qui munia ſolus,
Imperii minimo quæ tempore formula manſit.
Vix ea quandoquidem ſextum peruenit ad annum.
Illorum monumenta Virum iam conſpice lector.

Magiſtri Militum Medoacenſes.
Dominicus Leo Magiſter. I.
Anno Chriſtianæ ſalutis.
DCC.XXXVII.

Militiæ ante alios exorno primus honorem,
Medoaca reliquis patribus Prælatus in Vrbe.

Felix Cornicula Mag. II.

Ordine militiæ à primo ſuccedo ſecundus.
Ordine nempè minor, ſed par uirtute Leoni.

Theodatus Mag. III.

Militiæ adſcribor præclari filius Vrſi,
Nimirum præſtans ſim tertius ordine quamuis.
Et quia ab exilio fueram reuocatus ad Vrbem,
Additus eſt annus meritò mihi lege ſecundus.

Iulius Cepariuſ, ſiue Hypatius
Mag. IIII.

Aſſumor quartus numero, ſimul ordine miles,
Non tamen ultra annum proceſſit noſtra poteſtas.

Cianus Participatius Mag. V.

Militiæ ut quintus, claudo ſic ultimus agmen,
Effoſſis oculis ut qui deiectus honore.

Rixarum, fomes'que odii, cum plena tumultu,
Atque humilis ditio cum conſeretur equeſtris,
Decretum fieret Princeps ut more priori,
Qui uitæ toto retineret tempore habenas.
Qui patrium late nomen protendere poſſet,
Publica qui'que domi curaret cuncta, foris'que.
Medoaci quæ forma fuit ſeruata ſecundo,
Per bis triginta, bis tres quoque circiter annos,
Heracliæ poſtquam locus eſt ex cæde relictus,
Riualtum donec commigrauere Quirites.

Medoacenſes Duces.
Theodatus Dux. I.
Anno Chriſtianæ ſalutis.
DCC. XXXXII.

Princeps Medoaci primus ſum rite creatus,
Militiæ fueram qui nuper in urbe Magiſter.
Cum Longobardo Heracliæ confinia pono.
Exin Brunduleas arces munire paratus,
Poſt treis, poſt'que decem excæcor crudeliter annos.

Galla Dux. II.
DCC. LV.

Poſtquam præceſſor uiſu, et priuatus honore eſt,
Vt ſibi quæ patriæ imperium ſummittere uellet,
Quod facinus fuerat me conſultore patratum,
Dux creor: egreſſus primum ſed protinus annum,
Eiicior ſolio geminis priuatus ocellis.

F

DCC.LVI.

Tertius aſſiſcor, Dux ſim licet ordine ſextus,
Heracliæ electos ſi noſtro incluſeris albo.
Adiuncti gemini mihi ſunt ex lege Tribuni,
Qui patriam mecum regerent, ſed turpiter anno
Excæcor quinto, parto ſpoliatus honore.

Mauritius Dux. IIII.

DCC.LXIIII.

Quod præceſſorum nulli prius obtigit unquam,
Collegam natum populo mandante coopto.
Præſulis hinc fraudes, uires'que eludo Gradenſis.
Hinc etiam Heraclios abductos tutor ab hoſte;
Octaua morior nondum trieteride functus.

Ioannes Dux. V.

Cum genitore nouem, totidem ſed tranſigo ſolus,
Cum nato uerùm ſeptem demetior annos.
Attritus præſul me præcipiente Gradenſis,
Apprenſum natus quem turri eiecit ab alta,
Hinc unà populum metuentes fugimus ambo.

Obelerius Dux. VI.

DCCC.IIII.

Extorris quanquam, Dux attamen eligor abſens,
Quo circa imperii fratres in parte coopto.
Byzanti quorum ſe contulit alter ad urbem,
Illinc qui nobis inſignia multa reuexit.
Ad Gallum fugiens, me ſed mox abdico honore.

Beatus Dux. VII.

Frater ut aufugit deſerta principe ſella,
Medoaci imperium rexi cum fratre Valente.
Hinc procul ergo hoſtes Gallos eiecimus ambo,
Cladéque permagna affectos ſuperauimus ambo,
Ad Gallum demum me ſum conferre coactus.

Valens Dux. VIII.

Sæcula quod meritò nunquam uentura ſilebunt,
De Gallis egi ingentem, celebrem'que triumphum,
Qui ſtructis ratibus nos debellare parabant,
Noſtra trium ditio quintum uix colligit annum.
Quippe duo extorres, quorum alter in urbe peremptus.
Arriſit propior mihi ſors ſed munere diuum.
Non ſolum patriam quod ſum tutatus ab hoſte,
Sed quod Medoacas ſedes meliore ſub aſtro
Tranſtulerim, firma ac Riualti in parte locarim.
Quod'que gradu hic ſummo fuerim decoratus, et illic.

Præfatio in Venetos Duces.

Proxima cùm plures habitarent æquora paſſim,
Per uada maiores tumuli qua parte patebant,
Nauigiis rudere aduecto, quos auxerat inquam
Quiſque ſibi, ut faciunt homines ad commoda uitæ;
Hunnica deſæuit rabies, et Gallica poſtquam,
Medoacas cuncti ſtatuere relinquere ſedes.
Quod factum cura in primis, operáque Valentis,
Qui metuens patriæ diſcrimen ab hoſte propinquum,
Migrandum ſuaſit plebis, procerumque ſalute;
Riualtum ſic eſt ſedes tranſlata Ducalis;
A' regione locus tota qui nomina ſumpſit.
Italiæ decima nanque huc à parte profecti,
Vt potè qui reliquos opibus, numeróque præibant,
Quamuis turba omnis corpus coiiſſet in unum,
Publica concordi et fierent ſimul omnia mente,
Obtinuere urbem patria à regione uocari.
Imperii hæc (manifeſta loquor) primordia noſtri.
Parua quidem primò, ſed quæ creuere ſubinde,
Vſque adeo ut doctas Veneta urbs ſuperarit Athenas,
Parte ſit & magna ingentis facta æmula Romæ.
Tempus adeſt operis partem, quæ maxima reſtat,
Pondere quæ ſuperat, ſuperat ſplendore priores
Incipere, optato nec non componere fine.
Adſis diua igitur propius, quæ ſola pudico
Cunctorum dominum meruiſti claudere uentre.
Vos et adeſte ſimul propius pia numina cœli,

Aſſiduam noſtræ curam quæ ducitis urbis,
Adſitis Veneti'que precor mihi denique ciues,
Plenius et ſolito ueſtrum impertite fauorem,
Atque unà faciles ſtadium hoc decurrite mecum.

VENETI DVCES.

Angelus Participatius Dux. I.
Anno Chriſtianæ ſalutis.
DCCC.VIIII.

Fundo palatinas ædes Dux primus in urbe;
Heracliæ ſedes renouo, natos'que coopto.
Claſſe Gradum redimo, Patriarcham in uincula trudo.
Inſtituo celebres ludos tauri'que, ſuum'que.
In templo Hilarii ſexta trieteride condor.

Iuſtinianus Participatius Dux. II.
DCCC. XXVII.

Deligor à cunctis Dux, ſubſtituor'que parenti;
Excipio diui corpus uenerabile Marci,
Erigo cui templum, tendens noua ſigna per urbem.
A' Mauris Siculos tueor, tum deinde duobus
Præteritis annis, patria concludor in urna.

Ioannes Participatius Dux. III.
DCCC. XXVIII.

Suffectus fratri iam cœptum conſtruo templum,
Marmoribus decoro uariis, uariiſque columnis.
Ad Gallum fugio demum terrore Caroſi,
Aſt illo exacto reuocor, mox priuor honore,
Sacricola exactis fio bis quattuor annis.

Petrus Tradonicus Dux. IIII.
DCCC. XXXVI.

Ingentem claſſem in Mauros educo per altum,
Sed numero inferior mox illis cedere cogor.
Templum ingens Paulo uoueo, ædificoque beato.
Conſortem Imperii uiuens mihi corrogo natum,
Aſt anno undecimo paucorum concido fraude.

Vrſus Participatius. Dux. V.
DCCC. LXIIII.

Illyrium Mauros populantes, atque paratos
Expugnare Gradum, collecta claſſe fugaui.
Inde Narentanis inuexi incommoda plura,
Cœpta coli regio eſt dorſi me Principe duri,
Compoſitis bellis perii trieteride ſexta.

Ioannes Participatius. Dux. VI.
DCCC. LXXXI.

Exoptans Venetos fines protendere, Romam
Deſtino germanum, inſidiis Ducis ille Comacli
Concidit: offenſas tantas ulturus, in hoſtem
Arma paro, ac urbem capio, ciuesque trucido.
Sponte, ſed inualidus ſexto anno inſignia pono.

Petrus Candianus Dux. VII.
DCCC. LXXXVII.

Claſſe Narentanos inuadere publica cura
Impulit, inferrent urbi quod damna frequenter,
At pugna admiſſa res primum proſpera ceſſit,
Hoſtili demum numero ſuperatus, in armis
Pro patria ocumbo quinto uix menſe peracto.

Ioannes Participatius Interdux. I.

Pro patria ut nullo Dux non memorabilis æuo
Strenuus occubuit, ualdéque decorus in armis,
Imperium populo hortante, ac ſuadente reſumo;
Sed quia prætuleram priuatam ducere uitam,
Illud ſponte mea poſui ſex menſibus actis.

Petrus Tribunus Dux. VIII.
DCCC. LXXXVIII.

Tutandæ patriæ oblongum murum extruo cauſa,
Obiice et ingentem riuum, claudóque catena.
Proxima turbantes Hunnos ferróque, rapinis
Littora, collecto dare cogo milite terga.
Poſt decimum, ac nonum morior feliciter annum.

Vrſeolus Badoarius Dux. IX.
DCCCC. VIIII.

Ius colui, legesque pias, Princepsque uiciſſim
Militiæ ut fieret Byzanti filius egi.
Capto, et ab Illyriis coniecto in uincla ſed illo,
Propoſui ſeruire Deo, ſponte inde Ducatum
Depoſui, exacta nondum trieteride quarta.

Petrus Candianus Dux. X.
D.CCCC. XVIII.

De patria merito prognatus Principe, Princeps
Eligor, arreptas matronas uendico ab Iſtris.
Sponſarum celebro feſtos de nomine ludos.
Impono hinc Iſtris ſoluenda tributa quotannis,
His geſtis morior cum ſeptimus annus abiſſet.

Petrus Badoarius Dux. XI.
DCCCC. XXXIX.

Illyrica ut ductus de carcere uincula ſolui,
In patriam redeo, extincto ſed Principe, Princeps
A' populo acclamor, patriáque in ſede reponor.
At me pro patria meditantem plura, ſecundus
Annus ab incœpto ſummouit, et addidit umbris.

Candianus Dux. XII.
DCCCC. XXXXI.

Pace Narentanos amplector, in æquora rapta
Quò bona reſtituant, ſolitis parcant'que rapinis.
Pacta Aquileienſi cum Præſule priſtina firmo.
Exilio mulcto natum, trieteride quarta
Occido, quod patriam tentaſſet filius armis.

Petrus Candianus Dux. XIII.

Me pauor ipſe mei, probitas ſimul ipſa parentis
Extulit in patriam rurſus, poſuit'que cathedram.
Externis thalamis odioſus factus in urbe,
Igne ſimul, ferróque necor, tum deinde macello
Poſt tria luſtra miſer cum nato, et coniuge trador.

Petrus Vrſeolus Dux. XIIII.
DCCCC. LXXVI.

Dux creor inuitus, patriæ ſed amore coactus
Aſſumo imperium clero, populóque rogante.
Seruato Barro Maurorum diruo claſſem.
Inde ſacras ædes ſtatuo, et pia templa per urbem.
Clam factus monachus poſt annum deſero honorem.

Vitalis Candianus Dux. XV.
DCCCC. LXXVIII.

Vrſeoli ſio ſucceſſor, Principe natus.
Libero, Vitalem in patriam reuocóque Gradenſem.
Concilio Venetis infenſum rebus Othonem;
Imperium (ne quid ferret Reſpublica damni)
Diuino intra annum commotus amore relinquo.

Tribunus Memius Dux. XVI.

Turbatum exegi Imperium, plenum'que tumultu,
Nam priuatorum culpa Reſpublica penè
Corruit, extincto quæ reſpirauít Othone.
Quarto anno, ac decimo ſedatis fluctibus urbis,
Inualidus, ſed ſpontè mea me, me abdico honore.

Petrus Vrſeolus Dux. XVII.
DCCCC. LXXXXI.

Qua patet Illyrium protendi Marcia ſigna,
Iſtria ſubiecta eſt, ſubiecta eſt Illyris omnis.
Imperii titulus pariter cum nomine creuit.
Cum Byzantino Imperio, Imperióque Latino
Plura ubi confeci, occubúi trieteride ſexta.

Otho Vrſeolus Dux. XVIII.
M. VIIII.

Subſtituor iuuenis quamuis in honore parenti.
Illius ut uirtus, noſtri ut mores´que ferebant.
Ob quod Pannoniæ Regis mihi filia nupſit.
Marte Gradum redimo, luſtris tribus inde peractis,
Flabanicis armis ſolio de Principe turbor.

Petrus Centranicus Dux. XIX.
M.XXIIII.

Diuiſa in parteis concors in amore, fidéque
Fiat ut urbs ſatago: rixas, et prælia ponat.
Exagitata domi, quibus exagitata foris´que eſt:
Aſtu urſi uerùm quarto anno pellor ab urbe,
Cogor et eraſus ſacro me, me abdere clauſtro.

Vrſus Vrſeolus Gradenſis Antiſtes Interdux. II.

Pro Duce, res´ nequid pateretur publica triſte,
Dum per legatos frater reuocatur ad urbem,
Me gero, morte igitur comperta fratris Othonis,
Vt rexi Venetos rectè in patria´que, foris´que,
Intra annum Imperium uictus mœrore remitto.

Dominicus Vrſeolus Interdux. III.

Vrſus ut Imperium poſuit mœſtiſſimus urbis,
Principe ne ſella penitus gens Vrſa uacaret,
Spontè adii imperium, in ſolio me ſpontè locaui.
Verùm poſtridie patria miſer exigor urbe,
Exilii fines ſortitus ſepta Rauennæ.

Dominicus Flabanicus Dux. XX.

Vrſus, ut interitu percepto fratris Othonis,
Ad tempus ſumptas ultrò dimiſit habenas,
Vtque relegatus ſucceſſor et ipſe Rauennam,
Dux creor: at nequis natos, fratresue cooptet
Inſtituo, decimum incolumis prouectus ad annum.

Dominicus Contarenus Dux. XXI.
M.XXXXXIIII.

Milite delecto, delecta claſſe, manuque,
Expugno infidos Iadrenſes, plecto rebelles:
Arreptumque Gradum redimo, cedente Pepone.
Omnibus excidium, Guiſcardo obſiſto minanti,
Sex, ac bis denis annis decedo peractis.

Dominicus Syluius Dux. XXII.

Normanum Illyrios agros, urbemque prementem,
Nauigiis captis, pelago merſisque profundo,
Fortiter oppugnans felici marte ſubegi:
Verum poſt aliquod tempus contraria paſſus,
Occubui exactis bis denis, ac tribus annis.

Vitalis Falerius Dux. XXIII.

Legatos geminos Byzanti deſtino ad urbem,
Per quos obtinui Illyrii loca, Pannoniæque,
Frænabant armis, ac ui quæcunque latrones.
Hoſpitor Henricum imperii ſplendore micantem.
Poſt treis, poſtque decem Lacheſis me ſuſtulit annos.

Vitalis Michaël Dux. XXIIII.

M.LXXXXVI.

Eripere Vrbano Chriſti exoptante ſepulchrum,
Milite chriſticolas iuui, ratibus'que ducentis.
Per mare Piſanos inito certamine fudi.
Nicolei ſanctum excepi; colui'que cadauer.
Oppetii mortem quarto feliciter anno.

Hordelaphus Falerius Dux. XXV.

M.CI.

Chriſticolis Syrios bello infeſtantibus adſum.
Ad Bebiam turrim Patauos fundo'que, fugo'que.
Bis uideo incenſam uentorum uiribus urbem.
Amiſſum Illyrium redimo. mox arma reſumens,
Pugnando morior functus trieteride ſexta.

Dominicus Michael Dux. XXVI.

M.CXX.

Pro Chriſto, et patria motus, precibus'que Caliſti,
Inuaſi Aſſyriam, et ſum tutatus Ioppem.
Aequore depreſſi Mauros, Tyrios'que redemi,
Græcorum Imperium Veneta arma timere coegi.
Deceſſi expletis annis uno'que, decem'que.

Petrus Polanus Dux. XXVII.

M.CXXXI.

Pro ſoceri meritis Princeps delectus in urbe,
Se dedens Fanum amplector, foueo'que benigne.
Arceo Piſanos, Patauinos contero motus.
Subiugo corcyram, ac urbes expugno Sicanas,
Ex bello ægrotus morior trieteride ſexta.

Dominicus Maurocenus Dux. XXVIII.
M.CXXXXVIII.

Anconitanos capio, plectóque latrones.
Eneco Guiſcardum, ac Iſtris impono tributa.
Ingentem in medióque foro ſimul extruo turrem.
Marcius ut Præſul ſacram ferat impetro mitram.
Octauo morior, ſed non inglorius anno.

Vitalis Michael Dux. XXIX.
M.CLVI.

Piſanos ueteres hoſtes mihi fœdere iungo,
Diruo Tragurii muros, arces'que Raguſi.
Inuado græcas centum cum nauibus urbes.
Extinctam bello, è monacho patriæ excito gentem,
Nil minus in patria occidor trieteride ſexta.

Sebaſtianus Cianus Dux. XXX.

Riualtum ponte exorno; plateam'que columnis.
Pontificem excipio fugientem: uictor Othonem
Debello: teſtes uexilla, umbella, tubæ'que.
Cum Bucentauro, quæ ſit quoque pompa quotannis;
Octauum moriens claudo feliciter annum.

Aurius Maſtropetrus Dux. XXXI.
M.CLXXVIII.

Iungere Piſanos ſtudeo mihi pace ſequeſtra,
Anconitanis prædandi hinc auſero cauſas.
Pro Chriſto in Syrios, Iadræ obſidione relicta,
Arma fero, ſupero Saladinum, claſſe fugóque.
Efficior monachus demum trieteride quinta.

Henricus Dandulus Dux. XXXII.
M.C.LXXXXII.

A' bis uiginti aſſumor Dux primus in Vrbe.
Gallorum auxilio Illyrios expugno rebelles.
Promiſſam obtineo ſociorum ex fœdere Cretam.
Byzanti ac etiam quartam mihi ſubiugo partem.
Ad ſuperos illic migro trieteride quinta.

Petrus Cianus Dux. XXXIII.
M.CC.V.

Me Duce Byzanti Venetus fit Prætor in Vrbe,
Aegeum pariter noſtrorum inſignia ſummit.
Vetranus laqueo pœnas dat, Creta colonos
Accipit hinc miſſos, Patauos, Ligures'que trucido.
Sacricola efficior luſtris haud quinque repletis.

Iacobus Teupulus Dux. XXXIIII.
M.CC.XXIII.

Dux ſorte electus, collecto milite Cretam,
Claſse'que præualida Byzantia mœnia tutor.
Nauali Vatacum pugna, ſupero'que Leonem.
Amitto natum Federici fraude peremptum.
Viginti in ſolio ſuperatis auferor annis.

Marinus Maurocenus Dux. XXXV.

Dux creor unius numero electoris adaucto,
Punctorum paritas ullas ne ſuſcitet iras.
Pontificis ſuaſu bellum ordior, arma capeſſo.
Eripio Patauos, E celinis vrbe fugatis.
Patricia extinctus quarto anno condor in æde.

Rhaynerius Genus Dux. XXXVI.

M.CC.LII.

Attriui Ligures bello, domui'que potentes.
Extitit euentus Saba huius cauſa beatus.
Victores Venetos Ptholemaidis ora fatetur,
Aſſyrium pelagus, Drepani ſimul unda recurui.
Aſt annis obii ſeptem'que, decem'que peractis.

Laurentius Teupulus Dux. XXXVII.

M.CC.LXVIII.

Paſſa famem quamuis Vrbs ſit me Principe duram,
Ius tamen Hadriacum ſeruaui, iura Padi'que
Partibus adieci Venetis: mox arma reſumens,
Felſineos fudi, ſtraui quos uictor ad unum.
Sexto anno hinc fato ſum demigrare coactus.

Iacobus Contarenus Dux. XXXVIII.

M.CC.LXXIIII.

Anconitanum exortum me Præſide bellum,
Aucta quod Hadriaci fuerant portoria ponti.
Illatæ cædes ultrò, citrò'que frequentes.
Demum ſupplicibus pax me conceſſa ſinente.
Depono patriæ quinto anno effœtus habenas.

Ioannes Dandulus Dux. XXXIX.

M.CC.LXXX.

Iſtrorum audaces motus, urbes'que rebelles
Opprimo, deſpectis Aquileiæ Præſulis armis.
Nequicquam claſſem in Syriam, ſocia arma'que moui.
Aureolos numos excudo primus in Vrbe.
Decedo expletis luſtris in honore duobus.

Petrus Gradonicus Dux. XL.
M. CCXC.

Bis noſtris uicti Ligures armiſque fugati.
Bis coniurati domiti, raptique pelaſgi.
Et bis quinque uiri lecti, feſta addita uiti.
Diſcreti à patribus ciues, Ferraria capta.
Occumbo exacta demum trieteride quarta.

Marinus Georgius Dux. XLI.
M. CCCIII.

Sæpé rebellantes Iadrenſes claſſe parata
Protinus aggredior, dura obſidione premóque.
Extruo Duminico templum, clauſtrum'que beato.
Sacricolis uictus, et ueſtimenta miniſtrans.
Cum fletu intrà annum geminorum condor in æde.

Ioannes ſuperantius Dux. XLII.

Quo fuerim ingenio oſtendunt ſine marte recepta
Illyris, ex animo Clementis et ira remiſſa.
Procuratores aucti, Nauale refectum.
Pugnáque pro Patauis, ac pax donata Perotis.
Vt placitum ſuperis obii trieteride ſexta.

Franciſcus Dandulus Dux. XLIII.

Sim canis ex fido quamuis cognomine dictus,
Egi pro patria ſemper tamen ipſe Leonem.
In Turcas ſiquidem claſſis ualidiſſima miſſa
In Syria inuentos hoſtes oppreſſit ad unum.
Taruiſio capto, undecimus me ſuſtulit annus.

Bartholomæus Gradonicus Dux. XLIIII.

M.CCC.XXXIX.

Vſque adeo intumuit ſtagnum hoc urgentibus euris,
Plurima diluuio ut ciues peritura timerent.
Incrementa maris bellum Cretenſe ſecutum,
Sed per legatos exortos comprimo motus.
Hoſtibus oppreſſis, rapior trieteride ſextina.

Andreas Dandulus Dux. XLV.

Me doctrina Ducem, probitas ſimul ipſa crearunt.
Pannoniis cæſis, iterum eſt Iadera recepta.
Damnati infidi exilio, laqueoque rebelles.
Deuicti Ligures Veneto non abſque cruore.
Occido tranſactis luſtris, annisque duobus.

Marinus Falerius Dux. XLVI.

M.CCC.LIIII.

Claſſe prius noſtra, Piſano et Præſide captis
A' Ligure, offenſas paucorum ulturus in Vrbe
Arma paro in patriam, detectus ab indice pœnas
Cum coniuratis meritas ex crimine paſſus;
Amiſi uitam intra annum, et malè ſanus honorem.

Ioannes Gradonicus Dux. XLVII.

Sancio cum Ligure, Inſubrum et cum Principe pacem,
Feſta dehinc funeſta paro ſoluenda Marino.
Munio Taruiſium, Illyrii loca ſingula firmo.
Pannonicas ſic unà acies; ſic deſpicor iras.

M.CCC.LVI.

Doctrina inſigni, legum, rerum'que perito
Succeſſi, cuncto mihi ſuffragante Senatu.
Taruiſium a multis defendi millibus unus.
Ici Pannonio demum cum Principe fœdus.
Migraui e uita uix annis quinque peractis.

Laurentius Celſus Dux. XLIX.

Re magis, ac ipſo uere cognomine Celſus,
Bis Regem Cypri noſtra hoſpitor Vrbe receptum.
Nauibus eductis, educto milite Cretam
Inuado, redimo'que breui, plecto'que rebelles.
Quarto anno ex morbo naturæ cedere cogor.

Marcus Cornelius Dux. L.

M.CCC.LXV.

Excit Creta nouos auctore Cydone tumultus,
Omnia qui ſumptis illic ſubuerterat armis,
Sed noſtras uires cum non ſufferre ualeret,
Supplicium capitis ſubiit cum complice turba.
Menſibus, atque annis rapuit me parca duobus.

Andreas Contarenus Dux. LI.

M.CCC.LXVIII.

Vix tam Principibus reliquis Reſpublica debet,
Qua'm mihi, collapſam qui ſum tutatus ab hoſte.
Pannonii, ac Ligurum, Patauum'que potentia fracta eſt.
Patriciæ ornatæ claſſes, Veneta aucta poteſtas.
Incolumi patria occumbo trieteride quinta.

Michael Maurocenus Dux. LII.

In Veneta efficior ſucceſſor Principis Vrbe
Illius, ex merito quem ſæcula nulla tacebunt.
Exquiris uerò cur me nil Præſide factum,
Accipe, conatus noſtros mors abſtulit omneis,
In ſolio ſiquidem menſes uix quattuor egi.

Antonius Venerius Dux. LIII.

Euocor è Creta primo dignatus honore.
Taruiſium amiſſum Galeati ex fœdere ſumo.
Iuſtitiæ cauſa detrudo in uincula natum.
Obſeſſa auxiliis ſeruatur Mantua noſtris.
Ad ſuperos migro raptus trieteride ſexta.

Michael Stenus Dux. LIIII.
M.CCCC.

Italiæ quicquid decimæ ambitus obtinet oræ,
Partibus adieci Venetis, patriæ'que dicaui.
Hic gens Scaligera, hic ſubiit Carraria finem.
Hic uerè è pelago prodit Leo, pandit et alas.
Tertius ac decimus cœlo me reddidit annus.

Thomas Mocenicus Dux. LV.
M.CCCC.XIII.

Quod reliquum fuerat decimæ regionis adeptum

Franciſcus Foſcarus Dux. LVI.
M.CCCC.XXIII.

Exaucti Imperii ſub me capit Abdua finem,
Quæ uires, et opes, Venetis'que potentia quanta,
Excita bella docent, totum exportata per orbem.
Demum terdenis annis, ac quinque peractis,
Confectus ſenio deponere cogor honorem.

Paſchalis Maripetrus Dux. LVII.
M.CCCC.LVII.

Quam mihi præceſſor dederat ſine turbine pacem,
Dum uixi excolui ſuperatis quattuor annis.
Hinc ludi celebres, hinc ingens copia rerum.
Ne uerò noſtro ceſſatum tempore credas,
Sanxi ne uiuo fieret quis Principe, Princeps.

Chriſtophorus Maurus Dux. LVIII.
M.CCCC.LXII.

Emitto claſſem in Turcas, ualidas'que cohortes,
A' quibus arreptam Spartem, inuadóque Corinthum.
Chalcidem ob amiſſam exilio præſcribo Canalem.
Anconam ſocii belli me confero cauſa.
Plurima molitus decimo haud benè ſubtrahor anno.

Nicolaus Thronus Dux. LIX.
M.CCCC.LXXI.

Affectans Chriſti nomen, populum'que tueri,
In Turcas iterum moui, ſocia arma reſumens,
Smyrnam expugnaui, Lyciæ totius et oram.
De noſtro excuſſi'que Thronos cognomine numos.
Ante duos annos fato ſublatus iniquo.

Nicolaus Marcellus Dux. LX.
M.CCCC.LXXIII.

Confecta in Cypro Veneto ſunt nomine plura,
Aequorei tractus Mocenico, ac Præſide claſſis.
Mox apud Epirum Scodra obſidione redempta.
Multa foris, ſed in Vrbe noua eſt ſignata moneta.
Poſt menſem quintum, ac decimum Diis reddita uita eſt.

Petrus Mocenicus Dux. LXI.

Vt moui bellum in Turcas terráque, mari'que,
Dux creor, æquorei Præfecti munere functus.
Obſeſſum tueor Naupactum milite, claſſe.
Regale ac etiam Mocenicos cudo numiſma.
Occido bis ſeptem ſuperatis menſibus æger.

Andreas Vendraminus Dux. LXII.
M.CCCC.LXXV.

Non ſine Turcaico, et Veneto ſine ſanguine Croia,
Nec ſine noſtrorum ſeruata Goritia cæde eſt.
Diues opum, diues natorum, diues et agri,
Dum patriæ fines meditor protendere, mortem
Oppeto, uiginti ſine noxa menſibus actis.

Ioannes Mocenicus Dux. LXIII.
M.CCCC.LXXVII.

Marcus Barbadicus Dux. LXIIII.

M.CCCC.LXXXV.

Inſignis probitas, æqui, recti'que cupido,
Me ſimul euexit, celſa'que in ſede locauit.
Quam cum finitimis pacem præceſſor habebat
Excolui, foui'que libens, ſed plura parantem
Pro patria, primo mors improba ſuſtulit anno.

Auguſtinus Barbadicus Dux. LXV.

M. CCCC.LXXXVI.

Vt cum Germanis bella exagitata quierunt,
Addita Corneli Cyprus uirtute Georgi.
Deuictus Gallus, Tranum, Hydrus, capta Cremona.
Auſpiciis noſtris etiam Cephalenia capta.
Confectus Senio migro hinc trieteride quinta.

Hæc hactenus ex Petri Marcelli Hiſtoria.

Leonardus Lauredanus Dux. LXVI.

M. D. I.

Me Duce pax bellum, rerum quoque copia, caram
Excipit annonam, tempeſtatem'que Serenum.
Quo fato Imperium cecidit, ſurrexit eodem.
Inſula Riualti flamma conſumpta, nouata eſt.
Denique ſublimem uigeſimus abſtulit annus.

Antonius Grimanus Dux. LXVII.

M.D.XXI.

Miſſus in exilium reuocor, mox ritè priori
Reſtituor gradui, tùm Principe Stemmate dignor.
Pace fruor, ſpecto poſitos in honore nepotes.
Nequid pro patria molirer, reſtitit ætas.
E'uita intra annum grandæuus migro ſecundum;

Andreas Grittus Dux. LXVIII.

M. D. XXIII.

Forma decens, ac Rege magis quàm Principe digna,
Mercurium ut colerem ſuaſit, Martem'que potentem.
Ob quæ iure gradus datus eſt mihi primus in Vrbe.
Me Duce uerſa domi ſunt plurima, uerſa foris'que.
Sexto anno ac decimo occubui, cùm bella uigerent.

Petrus Landus Dux. LXIX.

M. D. XXXVIII.

A' Turcis bellum pridem terra'que, mari'que
Commotum, capit hoc demum ſub tempore finem.
Fit uia tuta maris, tuta Illyris, omnia tuta.
Prodentes arcana luunt ex crimine pœnas.
Septimus effœtum ſub marmore condidit annus.

Franciſcus Donatus Dux. LXX.

M. D. XXXXV.

Me non degenerem rerum experientia reddit.
Iuſtitiæ uerò ſtudium, patriæ'que ſalutis,
Inſuper annonæ, et cunctarum copia rerum,
Tempore quæ noſtro uiguere, prioribus æquant.
Quod ſupereſt, oro propius fortuna ſecundet.

Bernardi Georgii Carmen ad Detractorem.

Inculcata meo quod ſint in carmine plura,
Obiicis ac etiam, quod malè muſa ſonet.
Lynceus es, minimeˊque uides meliora Seuerum
Eniti totidem uix potuiſſe modis.
Non equidem ignoro, quod Dux ſibi quiſque uolumen
Exigeret, rerum copia tanta patet.
Sed prolixa ſolent faſtidia ferre legenti,
Et breuitate nihil gratius eſſe ſolet.
Pompilii, Antiochus uelut alter uerſor in orbe,
Aptius undè nequit ſcribere, clauſa manus,
Deeſt etiam tempus, noſtrisˊque haud conuenit annis,
Cum muſis totos delituiſſe dies.
Materies nec trita ſubeſt, neque cognita prorſus,
Forma oculis hominum non nimiumˊque frequens.
Auſonio Gallo numeris cecinisſe quaternis
Cæſareos Proceres, gloria ſumma fuit.
Muſa Duces Venetos mea quod plus clauſerit uno,
Ne detur laudi; dedecoriˊque uelim.
Nam patriæ obtulimus quodcunque eſt, plura daturi,
Implicitus curis ſi dare plura queat?

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Venetiis. M. D. XLVII.

Cum Gratia, et Priuilegio.

W

IV

Oggi 22 ... 1887

A. ... Ottaviani

T. Menozzi

... all'incanto oggi 26 ... 1887

M. ...

M. Walther